9. *Datis* A D, *& angulo* D, *& latere* A B, *latus* B D, *inuenire.*

Duc sinum totum in sinum complementi D, & diuide productum per tangentem complementi A D, & fiet tangens C D arcus. Deinde duc sinum complementi C D, in sinum complementi A B, & productum partire per sinum complementi A D, & proueniet sinus complementi B C. Ipsiusmet ergo B C & C D arcuum summa, vel differentia, est latus B D quæsitum.

10. *Datis* A D, *& angulo* D *cum latere* A B, *angulum* A *seu* B A D *inuenire.*

Duc sinum totum in sinum complementi A D, productum diuide per tangentem complementi D, & proueniet tanges complementi C A D; & sic habetur ipse C A D angulus. Deinde duc tangentem A D, per sinum complementi anguli C A D, productum diuide per tangentem A B, & proueniet sinus complementi B A C; & inde B A C ipsius cuius, & C A D arcuum summa, vel differentia, est B A D angulus quæsitus.

11. *Datis* A D *angulo* D, *cum angulo*, A, *latus* A B *exquirere.*

Duc sinum totum in sinum complementi, A D, & diuide productum per tangentem complementi D anguli, & proueniet tangens complementi C A D, & sic habetur ipse C A D angulus: cuius, & integri anguli A differentia, (vel aliàs summa) est angulus B A C. Deinde duc tangentem A D, in sinum complementi C A D, productum partire per sinum complementi B A C, & proueniet inde tangens A B.

12. *Datis* A D *& angulo* D, *cum angulo* A, *angulum tertium* B *inuenire.*

Duc sinum totum in sinum complementi A D, & diuide productum per tangentem complementi anguli D, & proueniet sinus complementi anguli B, & inde ipse angulus B quæsitus.

Sequi videtur, ex A D, & D, & A angulis, inuenire B D latus: sed in hoc situ triplicem requirit regulam Trium. Mutatis igitur A in D, & D in A, erit problema sub hac forma.

Datis

Datis D A, *&* A, *&* D *angulis*, *inuenire* B A. Prorsus idem cum problemate 11. & duplici tantum Regula Trium expeditur.

De semi-sinuum versorum, præstantia & vsu.

1. DATIS *duobus lateribus & angulo intercepto, tertium latus inuenire.*

Semi-sinum versum differentiæ crurum, auser ex semisinu verso aggregati crurum: reliquum multiplica per semisinum versum anguli verticalis intercepti: & producto diuiso per sinum totum, adde semi-sinum versum differentiæ crurum, & prodibit semi-sinus versus basis optatæ.

Eâdem ratione ex basi & angulis iuxta eam, reperitur tertius angulus verticalis.

2. *Contrà ex tribus lateribus inuenire angulum quemuis.*

Ex semi-sinu verso basis auser semi-sinum versum differentiæ crurum in sinum totum ductum; reliquum diuide per semi-sinum versum aggregati crurum, minutum semisinu verso differentiæ crurum: & prodibit semi-sinus versus anguli verticalis quæsiti. Eâdem ratione ex tribus angulis inuestigantur latera.

3. *Datis duobus arcubus tertium dare, cuius sinus æquetur differentiæ sinuum priorum.*

Sit arcus 38 : $\frac{1}{4}$, eius Logarithmus 484504: arcus alter 77 gr. Horum accipe complementa 51 : $\frac{5}{9}$, & 13 gr. quorum semi-aggregatum est 32 : $\frac{29}{36}$, semi-differentia verò est 19: $\frac{29}{36}$: quorum Logarithmi sunt 621656 & 1098914; quos adde, fient 1719670; à quo producto subtrahe 693147, & remanebit 102623 Logarithmus 21 gr. vel idcirca. Dico sinum rectum 21 gr., qui est 358368, æqualem esse differentiæ sinuum arcuum 77, 38 : $\frac{1}{4}$; qui sinus sunt 974370, & 615891 plùs minùs.

4. *Dato arcu, dare Logarithmum eius sinus versi.*

Sit arcus 13 gr, cuius dimidium 6 : $\frac{30}{36}$; eius Logarithmus 2177570, cuius duplum est 4367140: à quo auser 693147, & remanebit 3663993, cuius arcus est 1 : $\frac{28}{36}$, & numerus in-